

256. Alea iacta est

Post solis occasum Caesar, iumentis e proximo pistrino ad vehiculum iunctis, occultissimum iter ingressus est, et cum cohortes ad flumen Rubiconem, qui provinciae eius¹ finis erat consecutus esset, paulum constitit; mox conversus ad proximos: “Etiam nunc”, inquit, “regredi possumus; quod si ponticulum transierimus, omnia nobis armis agenda erunt”. Ei cunctanti id ostentum factum est. Apparuit repente quidam eximiā magnitudine et formā,² harundine canens;³ ad quem audiendum cum plurimi milites concurrissent interque eos et⁴ aeneatores, rapta ab uno tuba prosilivit ad flumen et classicum exorsus ingenti spiritu ad alteram ripam pertendit. Tunc Caesar: “Eatur”,⁵ inquit, “quo⁶ deorum ostenta et inimicorum iniquitas vocat.⁷ Alea iacta est”.⁸ Statimque exercitum traiecit.

¹ **provinciae eius:** «della sua provincia» (la Gallia). ² **formā:** «bellezza». ³ **harundine canens:** «che suonava la zampogna» (o flauto). ⁴ **et:** *etiam*. ⁵ **Eatur:** «Si vada»; cong. esortativo, passivo impersonale. ⁶ **quo:** avv. di moto a luogo. ⁷ **vocat:** singolare perché concordato col più vicino dei soggetti; traduci plurale. ⁸ **Alea iacta est:** «Il dado è tratto»; frase diventata proverbiale per indicare che non è più possibile tornare indietro.

257. Parvae praedae contemnendae, cum immanibus pugnandum est

Cum Albanorum¹ rex Alexandro Magno canem inusitatae magnitudinis dono largitus esset et statuisset Alexander ferae indolem experiendam esse, cervos et dammas e caveis emisit ut praeda cani² essent. Cum autem tam parvulas feras conspicatus esset, canis minime motus est tali conspectu, sed in loco, ubi insederat, immotus mansit. Ob tantam segnitiam ira impulsus, Alexander statim canem gladio necavit. Qua re cognita, Albaniae rex alterum canem eiusdem generis misit et Alexandrum hortatus est ne tam parvas beluas apponeret, sed leonem vel elephantum magni corporis et immanis feritatis induceret.³ Ita cum fecisset Alexander, canis, leonem conspicatus,

258. Nemo Hannibali in acie resistere potest

Cum Romanos apud Cannas profligavisset et Urbi appropinquavisset neque ullus hostium exercitus ei in acie resisteret, Hannibal in propinquis urbi montibus moratus est. Cum ibi aliquot dies castra habuisset et Capuam, unde profectus erat, reverteretur, cum Quinto Fabio Maximo dictatore in agro Falerno congressus est. Hic¹ cum esset clausus locorum angustiis, noctu, sine ullo exercitus sui detrimento, ex insidiis effugit, Fabioque, callidissimo imperatori, dedit verba.² Nam media nocte sarmenta cornibus iuvenorum deligavit et incendit et furiosum armentum hostes versus³ immisit. Sic maximus terror exercitui Romano iniectus est nec quisquam extra vallum egredi ausus est. Non multis diebus post Marcum Minucium Rufum, magistrum equitum, dolo in proelium productum cum omnibus copiis fugavit. Tiberium Gracchum quoque, iterum consulem in Lucanis cum in insidias induxisset et repentino impetu aggressus esset, concidit magna equitum peditumque caede. De tantis rebus gestis unum⁴ satis erit dictum:⁵ quamdiu Hannibal in Italia fuit, nemo ei in acie resistere potuit.

260. Germani maxima clade afficiuntur

Post eam pugnam Germani victi terga verterunt neque prius fugere destiterunt quam ad flumen Rhenum, milia passuum ex eo loco circiter quinque distantem, pervenerunt. Ibi perpauci, aut armis abiectis tranare contenderunt, aut lintribus inventis sibi salutem reppererunt. In his fuit Ariovistus qui, naviculam deligatam ad ripam nactus,¹ ea profugit, duobus militibus comitatus.² Reliquos omnes equitatu consecuti nostri interfecerunt. Duae fuerunt Ariovisti uxores, una Sueba natione, quam domo secum duxerat, altera Norica, regis Voccionis soror: utraque in ea fuga periit, a militibus Caesaris percussa. Duae fuerunt filiae: harum alteram Romani occiderunt, alteram captam obsidem tenuerunt. Nostri contra³ minimum detrimentum acceperunt: nam quattuor tantum centuriones in illa pugna amissi sunt. At C. Valerius Procillus, quem antea a Germanis in vincla coniectum esse diximus, cum a custodibus in fuga⁴ catenis vinctus traheretur, in ipsum Caesarem, hostes equitatu persequentem, incidit et liberatus est. Quae quidem res Caesari non minorem quam ipsa victoria voluptatem paravit.

262. Antiquam exquirite matrem!

Aeneas, cum Troia profugus ad insulam Delum pervenisset, ibi oraculum Apollinis consulere statuit in qua parte orbis terrarum novam patriam sibi requireret. Ad quam insulam cum appulisset, repperit ibi virum, patris sui amicissimum, regem eundemque¹ Apollinis sacerdotem, cui nomen Anio erat. A quo cum honeste accepti essent Troiani, sollemni sacrificio ante Apollinis aram facto, quaesiverunt in qua tandem regione sistere possent novamque aedificare urbem. Tunc totus mons, ad cuius radices templum erat, tremere coepit atque ex specu oraculi haec vox audita est: "Illa terra, unde orti sunt maiores vestri, vos excipiet; antiquam exquirite matrem! Ibi erit domus Aeneae, quae in omnem orbem terrarum dominabitur". Quibus rebus auditis, Troiani consulebant inter se quaenam esset antiqua mater, de qua Apollo locutus erat. Tunc Anchises, ad Aeneam conversus: "Troianorum mater insula Creta est", inquit, "unde Teucer ad condendam Troiam profectus est". Quam opinionem tamen fallacem fuisse novimus: nam Apollo non Cretam, sed Italiam significabat, unde ortus erat Dardanus, a quo Troiani etiam Dardanidae appellati sunt. Itaque, Apollinis oraculo haud recte intellecto, Delo profecti, Cretam versus navigaverunt.

264. De turpissimo adulationis exemplo

In convivio quodam Cambysem, Persarum regem, nimis deditum vino, Praexaspes, unus ex carissimis, monebat ut parcius biberet, dicens turpem esse ebrietatem in rege. Cui ille: “Mox tibi ostendam mihi semper ad officium suum promptas esse manus, etiam post vinum”. Bibit deinde liberalius quam solebat¹ et capacioribus scyphis, deinde, gravis et vinolentus, iubet filium obiurgatoris sui ultra limen procedere triclinii et ibi, adlevata super caput manu sinistra, stare. Tunc, cum adulescens obtemperavisset, intendit arcum et ipsum cor sagitta fixit (id enim a se peti dixerat). Tunc in duas partes rescisso pectore, spiculum patri ostendit in medio corde² defixum et cor sub vulnere adhuc palpitans, eumque interrogavit num vinum minus certam manum suam effecisset. Et ille, cum non patris sed turpissimi adulatoris aut vilissimi mancipii animum haberet, non indignatus est, non tyrannum execratus est, non suae stirpis carnificem ulcisci conatus est, immo negavit Apollinem, qui sagittas certissimas haberet,³ posse firmiore manu in signum telum mittere!

266. Quo Metellus belli artificio urbem expugnaverit

Q. Metellus, cum pro consule bellum in Hispania adversus Celtiberos gereret urbemque Contrebiam caput eius gentis viribus expugnare non posset, intra pectus suum diu multumque consiliis agitatis viam repperit, qua propositum ad exitum perduceret. Itinera magno impetu ingrediebatur, deinde alias atque alias regiones petebat; modo hos obsidebat montes, paulo post ad illos transgrediebatur, cum interim¹ tam suis omnibus quam ipsis hostibus ignota erat causa inopinatae ac subitae huius generis fluctuationis. Interrogatus quoque a quodam amicissimo sibi quid ita sparso et incerto militiae genere consequeretur: “Desine”, inquit, “istud quaerere; nam si huius consilii mei interiorem tunicam² consciam sensero, continuo eam cremari iubebo”. Postquam vero et exercitum suum ignorantia et totam Celtiberiam errore implicavit, cum alio³ cursum direxisset, subito ad Contrebiam reflexit, eamque inopinatam et attonitam oppressit.